

PRÆFATIO.

Quum continuis scientiarum medicarum progressibus et ratio conficiendorum medicaminum, et curationes, quæ morbis adhibentur, novam in dies mutationem subeant, id consilii cepi, ut librum, ante viginti annos tertio editum, denuo restaurarem et novis in re medica ac pharmaceutica locupletatum inventis, typis repetendum curarem. Triennium in elaborando opere impendi, et optima quæque, tum a nostratibus prolata, tum ex probatissimis cæterarum cultarum gentium auctoribus excerpta, breviter et distincte exponere conatus sum.

Objicient forsitan nonnulli, quod in mutandis remediorum nominibus frustra operam consumpserim. Hi velim diligentius perpendant: nova quædam medicamenta composita, majoribus nostris ignota, nomine passim usitato carere, et vario a plerisque insigniri; exemplo sit conjunctio Jodi cum Potassio, quam aliis Jodidum Potassii, aliis Jodetum Kalii seu kalicum, aliis Joduretum Potassii, aliis Hydri-

datem Potassæ, aliis Kali hydriodicum vel hydriodicum, aliis denique Kalium iodatum nuncupare placuit. Hæc igitur erant sancienda; quamobrem ejusmodi præ cæteris nominandi rationem assumpsi, quæ omnibus, tum novis, tum pristinis medicaminibus facili modo posset adcommodari; verebar equidem, ne indigestam molem producerem, si novis tantummodo remediis, relicto pristinis veteri nomine, artificiosam denominationem imposuissem; hinc composita omnia ad systematis, normam revocavi. Ne autem per errorem remedium aliud alio substituatur, usitatissima ubicunque nomina sunt adnexa, et perscribenti formulas fas erit illis ad libitum uti, quum Pharmacopola, inspecto Indice rerum contentarum, postulatum facile inveniet medicamen.

Petropoli. Mense Junio MDCCCXL.
